Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26300
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sceptrum exactoris eius. cum regnum eiusdem diaboli qui per pestiferam per
persuasionem uitiorum consueuerat debita tributa penarum exigere. de fide
lium corde destruxit. Quid est hoc quod tale bellum per prophetam adducitur.
nisi propheta nobis indicare studuit. quod aduentu redemptoris nostri contra
diabolum illa sub gedeon duce pugna uictorię designauit. Talia
illic nimirum acta sunt quę quanto magis usum pugnandi transeunt.
tanto amplius apprehendi mysterio non recedunt. Quis enim umquam
cum lagenis et lampadibus ad proelium uenit. Quis contra arma ueni
ens. arma deseruit. Ridicula nobis hec profecto fuerant. si terribi
lia hostibus non fuissent. Sed uictoria ista attestante didicimus. ne
parua hec quę facta sunt pendamus. Gedeon quippe ad proelium ueni
ens. redemptoris nostri signat aduentum. de quo scriptum est. Tollite
portas principes uestras. et eleuamini portę ęternales. et introibit rex
glorię. Quis est iste rex glorię. Dominus fortis et potens dominus potens in proelio.
Hunc redemptorem nostrum non solum opere. sed etiam nomine prophetauit gedeon.
Gedeon quippe interpretatur circumiens in utero. Dominus enim noster per maiestatis
potentiam. omnia circumplectitur. et tamen per dispensationis gratiam intra
uterum MARIE uirginis uenit. Quid est circumiens in utero. nisi omnipotens
qui et intra uterum fuit per infirmitatis substantiam. et extra mundum per
potentiam maiestatis. Madian uero interpretatur de iudicio. Ut enim hos
tes eius repellendi destruendique essent. non de iudicio repellentis est. sed
de iudicio iuste iudicantis fuit. et idcirco de iudicio uocantur.
quia alieni a gratia redemptoris ipse damnationis meritum. et etiam
in uocabulum nominis trahunt. Contra hos gedeon cum trecentis
pergit ad proelium. Solet in centenario numero plenitudo perfectionis in
telligi. Quid ergo per indicium trecenarium numerum designatur. nisi perfecta cog
nitio trinitatis. Cum his quippe dominus noster aduersarios fidei destruet.
cum his ad predicationis bella descendet qui possunt diuina
cognoscere. qui sciunt de trinitate quę deus est. perfecte sentire. Notan
dum uero est quia iste trecentorum numerus. in thau. T. littera continetur.
quę crucis speciem tenet. cui si super transuersa lineam id quod in cruce